

THEOB. DE HOGHELAN-  
DE MITTELBURGENSIS DE  
ALCHIMIÆ DIFFICULTATI-  
BUS LIBER.

In quo docetur, quid scire quidq; vitare debeat veræ Chemiæ  
studiosus ad perfectionem aspirans.

Proœmium.

**N**aturalis philosophiæ partem nobilissimam esse, qua metallorum tractantur principia, causa, proprietates, passiones, & transmutationes, nemo nisi injuria in dubium revocabit. Addidi transmutationes, ut non videar de illa parte Physices per vulgata loqui tantum, quæ de metallorum materia & forma, generationis loco, ductibilitate, colore, sapore, odore & similibus determinat: sed de ea potissimum, quæ metallum unum in aliud convertere docet. Hoc autem possibile esse demonstratione non indiget, cum experientia fidem faciat, oculati testes ubique ferè terrarum confirment, & gravissimi auctores asseverent. Ferrum enim aquis sponte è terra scaturientibus, & facili etiam artificio in æs transit, & hydrargyrum cum sulphure excoctum in argentum mutatur, quanquam absque lucro, nisi major artificis solertia accedat. Supersunt in Gallia, Anglia, Germania, Bohemia, & Belgio, qui suis manibus pulvere quodam minima quantitatatis, quem tamen ab aliis preparatum accepissent, in argentum vivum igne excalesfactum coniecto, argentum inde vel aurum omni examini subjiciendum retulere. Narrat Cardanus coram principe & ampliss. senatu Urbis Venetæ

Alchemia  
naturalis  
philosophiæ  
partis

Transmutationem  
metallorum  
possibilem  
esse docetur.  
Experientia  
Georg. Agric.  
lib. 9. de nat. foss.  
filium.  
Testibus.  
Auctoritate.  
Libr. 6. de  
subtilitate.  
Lib. 1. de  
occulta  
philosophia.  
cap. 14.

H